



**H**ABES, amice Lector, in hoc libello præstantissimorum aliquot virorum de rebus Turcicis commentationes, partim integras, partim carptim prout instituti nostri ratio poscere videbatur; studiose è majoribus operibus excerptas; uti speremus te nihil in hac materia hic jure desideraturum. Erat initio nobis propositum, tibi Persica juxta cum Turcicis dare ob materiæ affinitatem; sed animadvertentes, libellum hunc per se justæ esse magnitudinis, consultius visum Persicarum rerum tractationem in proximum commenta-

*Montanus*

I



I.

RERVM TVRCICARVM  
COMMENTARIVS:

*Authore*

IOAN. BAPTISTA MON-  
talbano, Bononiense, Phil.  
& Iur. V. D.

*Turcia fines.*



TVRCIA omnis ab Ita-  
lia, Germania, Polonia,  
Moscovitis, Tartaris, Per-  
sis, Indis, Abyssinis, ac per  
universam Africæ oram  
ad Gades fere, à Lybia interius, & ab  
Hispania Galliave exterius; Hadriatico  
mari, Alpibus; mutuo metu; magnis  
fluminibus, Borysthene scilicet, ac Ta-  
nai; sylvis, paludibus, continuis mon-  
tibus, Hyrcano mari, vastis plagis, pa-  
tentibus arenarum campis, inviis de-  
sertis, mediterraneoque iterum, sepa-  
ratur: cætera rubrum mare & ocea-  
nus ambit; Arabicos sinus, & immensa

A

terra-